

quo duo vel plures conveniunt de re quapiam in commune conferenda ut lucrum quod inde oriri possit inter se dividant. (a. 1832)

Res illa quae in commune confertur, consistit in pecunia aliisve bonis vel in industria personali. (a. 1822) Quare, sicut quidam solam sortem seu *capitale*, ita alii solam industriam conferre possunt. Essentiale autem est ut sit communitas in lucro quod e societate oriatur: nam si determinata quaedam et certa summa alicui solvenda statuitur, is jam non habendus est ut socius, sed ut mutuum praestans vel operam locans. Tales sunt ex. gr. administratores cum annuo stipendio a societate conducti.

Hodie in immensum auctus est societatum, praesertim commercialium, numerus: quarum naturam et species explicare potius ad Jus Civile vel Oeconomiam Socialem quam ad Theologiam Moralem pertinet. (1) Hic tantum principia quaedam generalia exhibebimus, quae juvent ad valorem harum dispositionum in foro conscientiae dijudicandum.

652. ASSERTA. I. Finis singularum societatem debet esse licitus, non tantum in conscientia, sed etiam in foro civili (a. 1822), nisi lex civilis positive adversaretur legi naturali vel, quod crebrius continget, legi ecclesiasticae.

Itaque, si finis societatis *illicitus* est, puta pravas ephemerides edere, nemo e contractu quo eam inivit, ad aliquid in futuro faciendum obligatur, quamvis solvere debeat iis qui e contractu jam impleto jus aliquod acquisierunt. Cfr. dicta de contractu turpi n. 582 seqq. Sin autem *injustus* est finis societatis, puta ad merces sophisticatas vendendas, socii damnum illatum reparare tenentur, et plerumque in solidum. (n. 548)

II. In dividendo lucro inter varios socios, servanda est proportio geometrica inter id quod socius apponit ex suo, et lucrum quod participat, ita ut qui plus apponit, vel in capitali, vel in industria, vel in periculo cui se exponit, cum eadem proportione plus de lucro participet. Hoc enim manifeste postulat hujus contractus aequalitas, nisi mixtus sit aliqua donatione, quae non oriatur e necessitate vel ignorantia, sed ex amicitia et liberalitate unius socii erga alios. (Lugo, disp. 20. n. 10)

III. In dividendis lucris vel ferendis damnis, quae ex societate oriuntur, ante omnia servanda sunt pacta inita, nisi speciali jure positivo

(1) Videri potest C. C. aa. 1832-1873, et praesertim C. Commercialis lib. I. Tit. IX, quo exhibentur dispositiones legum Belgicarum 18 Maii 1873 et 22 Maii 1886. Nam Codicis Civilis statuta non applicantur societatibus commercialibus nisi in iis rebus quae nullatenus contrariae sunt legibus vel usibus commercii. (C. C. a. 1873)

reprobata sint vel manifestam injustitiam contineant. Haec autem non facile asserenda est: nam saepe inaequalitas, ex uno capite apparens, compensatur ex aliis capitibus et circumstantiis individuantibus, quae facile variant et non minus debent in considerationem venire. Ideo fieri potest ut e duobus sociis unus habeat partem in lucro et nullam in damno: nam potest ejus industria et opera tanti aestimari ut compenset abunde has omnes inaequalitates. Illa ergo sola societas semper tamquam injusta reprobanda est in qua ad unum socium totum damnum et nihil lucri pertineat. (Lugo, l. c. n. 13) Ideo unica regula universalis de lucro et damno inter socios dividendis assignari potest: ut ex communi aestimatione et prudentum arbitrio, pro variis adjunctis, res decernatur. (Ball. P. n. 546)

IV. Deficientibus expressis conventionibus, observandae sunt, etiam in foro conscientiae, leges civiles et consuetudines inter negotiatores receptae. Nam singuli, societatem ineundo, contractum secundum has normas intellegere debuerunt, nisi contrarium expresse declaraverint.

V. Similiter tempus quo singuli teneantur in societate inita manere, primario e pacto expresso, secundario e legibus et usibus determinandum est. Ubi ex justitia non apparet stricta obligatio ad manendum in societate, fieri tamen potest ut eadem ex caritate oriatur, nempe si quis, poscendo ut res communis statim dividatur vel aliter se retrahendo, socios gravi damno exponeret, et sine gravi incommodo proprio exspectare posset. (1)

CAPUT IX.

DE MANDATO.

653. NOTIONES. Mandatum est contractus quo unus (mandans) alteri (mandatario) acceptanti dat facultatem aliquid pro mandante et illius nomine gerendi. (C. C. a. 1982)

(1) Veteres AA. multa scripserunt de contractu hodie antiquato, qui *trinus* vocabatur eo quod in se triplicem contractum, nempe societatis, assecurationis sortis et assecurationis lucris continebat. Ex. gr. Petrus Paulo ad negotiandum dat 100 fr. e quibus probabiliter 15 fr. lucris sperare possit per initam societatem. Sed Paulo ut assecuret sortem, 5 fr. et ut lucrum assecuret, 5 fr. alios e lucro probabiliter remittit: unde tandem Petrus percipit 5%, perinde ac si pecuniam mutuum cum hoc faenore dedisset. Hunc contractum antiqui DD., dummodo lucrum sit moderatum, communiter licitum esse existimabant. (Lugo, l. c. n. 40) Hodie, cum universim liceat mutuum cum faenore moderato, jam penitus obsolevit contractus trinus.

In Jure nostro, mandatum potest vel gratis vel cum pacto mercedis expresso aut tacito iniri. (a. 1986) Ut ergo cognoscatur num mandatario sit jus ad mercedem, attendendum est tum ad conventiones expressas, tum ad receptas consuetudines. Manet tamen semper inter mandatum cum stipendio et locationem conductionem essentielle discrimen, quod mandatarius, non autem operae locator, agit nomine principalis in gerendis negotiis sibi commissis.

Plura de ratione qua mandatum oritur vel exspirat, videsis in C. C. tit. XIII. Hic quaedam tantum adnotabimus de praecipuis mandatis et mandatarii obligationibus in foro conscientiae.

654. I. Mandatarii obligationes praecipuae sunt :

1° Mandatum integrum exsequi nihilque ultra ipsius limites agere. (a. 1989) Si quid ultra limites agit, damnum vel lucrum jam non ad mandantem, sed ad mandatarium spectat.

2° In foro externo (a. 1992), compensare damna quae, non tantum ex dolo, sed ex culpa, in adimplendo mandato admissa, oriantur. Major autem diligentia a mandatario requiritur ubi mercedem accipit quam ubi gratis rem gerit. Ante judicis sententiam, ad talem compensationem faciendam non tenetur, nisi gravem culpam theologicam admiserit vel expresse strictiorem obligationem stipulatus fuerit. (Marres, l. 4. n. 395)

3° Faenus solvere pecuniae quam in usum suum adhibuit, vel quam adhuc detinet quando in mora solvendi ponitur. (a. 1996) Attamen exspectare potest donec mandans hoc faenus petat : nam, propter usum sat communum, merito supponere potest illum huic juri reuntiare nisi contrariam mentem ostendat. (Marres, l. c. n. 292)

4° Nullam occultam compensationem facere nisi, ex antea dictis, jus ad mercedem habeat. Cfr. dicta de proxenetis, n. 639.

655. II. Mandantis obligationes praecipuae sunt :

1° Exsequi obligationes quas ipsius nomine, intra mandati limites, mandatarius iniit : si quas extra hos limites iniit, mandans iis stare debet tantum ubi eas expresse vel tacite ratas habuit. (a. 1998)

2° Solvere expensas in exsequendo mandato factas et stipendium, si quod promissum est, etiamsi res, absque culpa mandatarii, juxta leges civiles interpretanda (n. 654), malum exitum habuerit. (a. 1999)

3° Compensare damna quae mandatarius, absque culpabili imprudentia, in negotio gerendo passus est. (a. 2000) Attamen si dubium est num revera, occasione mandati vel absque imprudentia culpabili, hujusmodi damna acciderint, exspectare potest sententiam judicis. (Marres, l. c.)

N. B. Huic contractui affinis est quasi-contractus qui vocari solet

negotiorum gestio, quo aliquis, sine expressa conventionione, suscipit alterius rem gerendam, ex. gr. curam alendi et reducendi ad dominum animal aberrans. Negotiorum gestor, in Jure nostro (a. 1372), declaratur subjacere cunctis obligationibus quae e mandato domini expresso ipsi incumberent. Similiter, in foro conscientiae, ipsi et ei cujus negotium gessit, fere eadem applicari possunt quae de obligationibus mandatarii et mandantis, in eodem foro, dicta sunt. Probabilius jus habet ad aequam compensationem laboris quem in re aliena curanda vel ad dominum referenda assumpsit; nihil tamen stricte exigere potest ex eo quod rem domino reddit vel non destruxit. (Ball. P. n. 559)

CAPUT X.

DE CONTRACTIBUS ALEATORIIS.

§ I. DE ASSECURATIONE.

656. NOTIONES. Assecuratio est contractus quo assecurator pro certo pretio (prime) se obligat ad praestandam assecurato compensationem damnorum quae iste passus sit ob casum fortuitum vel vim praevaletentem. (Legis Belgicae 11 Jun. 1874, qua contractus iste regitur, a. 1; Cod. Comm. Tit. X et XI) Reducitur ad venditionem, quatenus pro pretio justo venditur obligatio periculum rei alienae subeundi. (Lugo, disp. 31. n. 93 seqq.)

Assecurandi consuetudo hodie plurimum invaluit et ad res fere omnis generis extensa est. Quare regulas quasdam de talium contractuum justitia in foro interno statuere necesse est.

657. ASSERTA. I. Ante omnia, ut assecuratoris et assecurati tum jura, tum obligationes determinantur, contractus clausulae inspiciendae sunt; his deficientibus, servandae sunt leges quae de hoc argumento fere ubique editae sunt. Excipe si qua clausula vel legis dispositio manifeste injusta foret.

II. Ad justitiam hujus contractus requiritur ut pretium sit aequale periculo quod suscipitur : quod tamen non ex eventu, sed e quantitate periculi, tempore contractus iniiti, judicio prudentum, determinandum est. (Lugo, l. c. n. 94) Patet ex iis quae de justo pretio emptionis venditionis dicta sunt. (n. 631)

Hinc, cum Ball. P. (n. 628) contra Lehm. (I. n. 1135), opinamur non esse injustum lucrum etiam ingens quod assecuratores faciant. Nam, si singuli assecurati solvunt pretium quod respondeat servitio quod ipsis a societate praestatur, non officit justitiae quod per accidens, puta ob ingentem eorum numerum, lucrum extraordinarium ex. gr. 20% a societatis membris percipiatur. Hoc enim tamquam fructus industriae vel aleae spectari potest. Deinde, cum non soleat lex civilis prohibere quominus novae societates assecurationis condantur, vix fieri poterit ut, si tantum lucrum soleat stabiliter percipi a societatibus jam exstantibus, non exsurgant aliae quae minuto pretio clientes ad se alliciant.

III. Requiritur etiam ad justitiam hujus contractus, ut periculum rei assecratae integre declaretur, neque post assecurationem augeatur. In Jure nostro (Legis cit. a. 9), invalidus dicitur contractus assecurationis, quotiens aliquid reticetur vel falso declaratur, etiam sine mala fide, quod periculi existimationem minuat vel ejus objectum mutet, ita ut assecurator, si hanc circumstantiam cognovisset, non fuisset iisdem condicionibus contracturus. Solent quoque addi variae clausulae quibus assecuratores se a fraudibus et augendo periculo tueantur.

Igitur contractus erit nullus, et soluta forte compensatio restituenda erit si, in declarando periculo rei assecrandae, circumstantia tanti momenti omissa vel falso expressa est ut, veritate cognita, assecurator nullatenus contrahere voluisset: nam, cum periculum rei sit materia hujus contractus, error notabilis in eo declarando substantialis est. Si autem error admissus talis fuit ut, veritate cognita, assecuratores nihilominus contractum iniissent, sed majus praemium postulassent, non videtur contractus nullus esse antequam sententia judicis irritetur: aequitas enim suadet ut ita legem interpretemur, ne facilius assecurati omni beneficio contractus sui priventur. Compensandum tamen erit quod praemio justo solvendo, pro taxa societatis de qua agitur, defuerit. Si hujusmodi error e dolo contingit, idem dicendum censemus: nam cliens in casu per hunc dolum non dedit causam contractui simpliciter sumpto, sed tantum decremento praemii. Cfr. n. 590. Eodem modo solvendum ducimus casum quo, post initum contractum, periculum augetur.

IV. Requirit quoque justitia ut assecurator par sit compensandis damnis pro quibus respondit: secus enim veram securitatem non praebet. Ut autem censeatur par damno compensando, non est necessarium ut disponere valeat de pecunia aequali bonis pro quibus respondet: nam, si illa bona, ut solet, non sunt uni periculo exposita, puta quia sunt in diversis navibus, domibus etc., plane improbable est ea omnia simul peritura et compensanda esse. Quare assecurator par esse debet tantum

compensandis damnis quae verisimilliter timenda sint. Qui impar fuerit, poterit tamen retinere partem pretii respondentem valori pro quo reapse securitatem praestitit, ut opinatur Gury (Casus I. n. 1013) contra Lehm. (I. n. 1132), qui censet nihil retineri posse, quia in securitatem partialis valoris dominus non consensit. Nam rectius censendus est dominus voluisse ut per hunc contractum obligaretur assecurator ad securitatem praestandam, quantum praestare posset.

Quodsi res periit, manebit obligatio integrae compensationis praestandae partim e contractu, partim ex injusta fraude qua assecurator dominum impedivit ne alibi efficacem assecurationem quaereret.

658. V. Juxta legem civilem (a. 16), assecurator nullum damnum resarcire debet quod actione aut culpa gravi assecurati causatur; saepe eadem dispositio per contractus clausulas extenditur ad proxime cognatos, qui in instrumento nominantur. Similiter lege excluduntur (nisi expressa stipulatio in contrarium fiat) damna orta e bello vel populari tumultu (a. 19), immo e vitio rei intrinseco (a. 18): quod ultimum tamen, pro assecuratione contra incendium, valet tantum si constat vitium illud notum fuisse assecurato quando contractum iniit. (a. 35) Hinc, si culpa theologica gravi assecurati vel alius in instrumento designati damnum illatum est, nihil in conscientiae foro exigi aut servari potest: nisi forte, in rebus minoris momenti, assecurator sponte compensationem facere velit. Ubi vero culpa juridica tantum talis personae damnum contingit, jus ad compensationem amittitur tantum post judicis sententiam. Idem dicendum de casu quo dubitatur num culpa sit theologice gravis. (Marres, n. 480 seqq) Quodsi damnum culpa theologica alius personae acciderit, assecurator (nisi expresse contrarium stipulatus sit) ad damnum reparandum tenebitur; succedit tamen in omnia jura assecurati contra damnificatorem. (a. 22)

Nec potest petere damni compensationem qui de industria omisit ea facere quae damnum impedivissent vel minuissent, ex. gr. nolendo auferre ex incendio ea quae facile auferre potuisset. Ita e contractus natura et jure positivo. (a. 17)

VI. Assecurator tenetur tantum ad compensandum damnum quod assecuratus reapse passus est, attento valore rei consumptae eo tempore quo periit. (a. 20) Quodsi pretium pro parte tantum objecti assecurati solutum est, assecurator pro rata valoris istius tantum compensare debet, nisi contrarium expresse in contractu statutum sit: nam in hoc casu ipse assecuratus habetur tamquam assecurator pro reliquo valore. (a. 21) Quare injustus foret assecuratus qui majorem compensationem exigeret; posset tamen majorem accipere quam assecuratores, nulla